Q.K.
411,
20.

X1877105 35

II i
235

ACCUBITUM
ad agnum Paſchalem,
Hebræorum veterum,

ad illuſtrandum accubitum Servatoris cum diſcipulis,

PRÆSIDE

THEOD. DASSOVIO,

Ling. S. & Oriental. reliq Prof. Publ.

collatis cum aliis ſententiis

publicè defendet

RESPONDENS

M. SAMUEL GIERINGIUS,

Ruthena Sileſius,

Ad d. Maji, A. M DC XCVIII.

In Auditorio Majori.

VITEMBERGAE,
Typis CHRISTIANI KREVSIGII, Acad. Typ.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

BIBLIOTHECA PONICKAVIANA

VT accubuerint Hebræi veteres, ſi Hieroſolymis Paſchalem agnum ederent, illud eruere viri Græcè Latineqve docti magna contentione induſtriæ aggreſſi ſunt, adjectisqve imaginibus ſubjecerunt oculis. Inter qvos præcipui ſunt *Johannes Baptiſta Villalpandus, in Explanationum in Ezechielem Tom. 1. edit. Romanæ in fol. p. 293. Hieronymus Mercurialis de arte Gymnaſtica edit. Amſtelod. in 4. p. 77. Petrus Ciacconius, de Triclinio edit. Amſtelod. in 12. p. 98. Jacobus Philippus Tomaſinus de Teſſeris hoſpitalitatis edit. Amſtel. in 12. p. 143. Mathias Flacius in Clave ſcripturæ ſacræ edit. Jenenſ. in fol. p. 1175. & Joan. Philip. Pfeifferus in tabula antiqvitatibus Græcis præfixa, & in earundem libro 4. c. 34. edit. Regiom. & Lipſ. in 4. p. 699. ſeqq.* Qvi licet aliqva idoneè commententur, nondum tamen omnia, qvæ dici eam in rem ad Hebræorum mentem poſſunt, dixiſſe videntur iis, qvi Hebræorum inſtituta ſolertius indagant. Unde operæ erit pretium, aliqva uberius adjicere, nonnulla qvo-

qve modeſtè emendare, ut ſua veteri iſti ritui inter eruditos certitudo conſtet. Atqve, ut tota res meliori ordine expediatur, paucis illam theſibus divinâ gratiâ recenſebimus. Sit itaqve

THESIS 1.

Accumbebant Hebræi, non aſſidebant menſæ.

§. 1. Non inficiamur eqvidem, in Ægypto adſtitisſe menſæ in Paſchali cœna Hebræos veteres, ſed illud non obſervabatur Hieroſolymis, ſicut nec ſuccincti erant tum temporis, nec baculos tenebant manibus, nec ſangvinem illinebant poſtibus, qvin potius accumbebant menſæ, qvi accubitus erat corporis reclinatio in lecto, & deſcribitur à *Majmonide in Hilchot Chametz umazza c. 7. §. 8. edit. Venet. minoris in fol. T. 1. f. 246. p. 1.* אפילו עני שבישראל לא יאכל עד שיסב אשה אינה צריכה הסיבה ואם אשה חשובה היא צריכה הסיבה ובן אצל אביו והשמש בפני רבו צריכין הסיבה אבל תלמיד בפני רבו אינו מיסב אלא אם כן נתן לו רבו רשות והסיבת ימין אין לו הסיבה וכן המיסב על ערפו או על פניו אין זו הסיבה ואימתי צריכין הסיבה בשעת אכילת כזית מצה ובשתיית ארבע כוסות האלו ושאר אכילתו ושתייתו אם הסיב הרי זה משובח ואם לאו אינו צריך: *Etiam pauper in Iſraele non edat, niſi accubuerit. Femina non obligabatur, ut accumberet; ſi tamen eſſet femina honorata, accumbere*

bere debebat. Filius qvoqve apud patrem, & servus, coram Domino accumbere debebant. Sed discipulo coram magistro non licebat accumbere, nisi impetratâ à Magistro licentiâ. Neqve accubitus in dextrum (latus), *habebatur pro accubitu. Neqve si qvis accumberet, reclinans se in cervicem, vel prorsum jaciens in faciem, erat accubitus. Qvandonam autem reqvirebatur accubitus? Eo tempore qvo ederent, vel ad olivæ qvantitatem panem azymum, & cum biberent qvatuor pocula illa* (paschalia;) *qvod si qvis reliqva qvoqve ederet, vel biberet accumbendo, magis laudabatur; qvod si non, nec cogebatur.*

§. 2. Ille autem accubitus non erat præcisè circularis, nec probari illud ex eo potest, qvia vocetur מיסב & הסיבה. Nam licet istæ voces à Radice סבב deriventur, qvæ significat *circuivit, ambivit*, non tamen præcisè circuitus & ambitus circularis indicatur, qvoniam & ipsum nomen סביב, qvod circuitum notat, etiam de circuitu qvadrato adhibetur, qvando sangvis dicitur spargendus circum altare holocaustorum, qvod tamen altare qvadratum erat, & corona dicitur circa mensam panum facierum facienda, qvæ mensa itidem non rotunda, sed qvadrangula erat. Unde *Kimchius in libro Radicum edit. Venet. in fol. p. 320. per* סבוב & הקפה sive ambiendi & cingendi verbis accubitum describit, nec figuram tantùm circula-

rem attendit; Unde & verbum חקיף ambivit etiam de ambitu altaris accipitur, *à Majmonide in librum Mischnicum Tamid. c. 7. §. 3. edit. Rivensis in fol. f. 392. p. 1.* (ubi de sacerdote summo altare ambiente sermo est,) qvod tamen non figuram habebat circularem. Itaqve licet accubitus circularis in usu fuerit fortassis, non tamen videtur tàm fuisse communis, qvàm accubitus qvadratus.

§. 3. Hinc meliùs expressêrunt accubitum Servatoris cum discipulis *Hieronymus Mercurialis*, *Ciacconius*, *& Tomasinus*, utpote qvi mensæ qvadratæ accubuisse illos arbitrantur, qvàm expressit *Villalpandus*, qvi mensæ rotundæ accubuisse autumat, sicut etiam communiter effigiari rotunda mensa solet à pictoribus qui, hunc accubitum vel in altaribus vel alibi delineant.

§. 4. An autem accubitus partim sedentis partim jacentis fuerit, qvia verbum היסב *accumbere*, & verbum ישב *sedere* conjunguntur *à Majmonide, in titulo de benedictionibus c. 7. §. 1.* inqviri debet. *Buxtorffio qvidem juniori* ita videtur *in dissertatione sexta de cœna Domini edit. Basilien. in 4. p. 307.* qvi præterea *p. 309.* qvia illa duo verba à se invicem distingvuntur, juxta *Mischnam de benedictionibus c. 6.* hinc Hebræos etiam sedendo cibum capere consveviss opinatur. Cui qvidem summo viro libera sententia relinqvitur, negari tamen non potest verbum

ישב

ישב etiam de accubitu dici, juxta *Jarchium in Esther. c. 1.* imò verba *Mischnica de benedictionibus c. 6.* allegata: היו יושבין כל אחד מברך לעצמו הסבו אחד מברך לכולן non debere verti: *Si sedeant, unusquisque benedicit pro se ipso, si vero accumbant, unus benedicit pro omnibus*, qvo etiam sensu verba illa vertit *Samuel Clericus in Massecheth Berachoth, sive titulo Talmudico, in qvo agitur de Benedictionibus, Precibus, & gratiarum actionibus Oxoniæ in 8. edito p. 19.* sed potius cum *Paulo Riccio, in versione Berachoth* debere Latinè ita enunciari: *Recumbentibus qvibusdam ad comedendum* (ad singulas mensas) *singulatim, unusqvisqve benedicit seorsim; si recubuerint* (simul,) *unus benedicit omnium nomine.*

§. 5. Itaqve ad Hebræorum mentem dici potest, ad agnum paschalem accubuisse tantùm judæos priscis temporibus, licet deinceps ad aliarum nationum & populorum imitationem pascha seculis seqventibus sedendo celebrarent. Proinde rectè *Ioannes Lundius*, im öffentlichen Gottesdienst der alten Hebräer *ed. Slesvicens. in 8. p. 276.* solum accubitum negata sessione defendit, & satis benè probat, licet autores Christianos, Hebrææ literaturæ gnaros, magis seqvatur qvàm Hebræos ipsos.

THES.

THESIS 2.

Accumbebant, inclinando corpus in Latus ſiniſtrum.

§. 1. Hujus ritus mentionem injicit *David Kimchius in libro Radicum edit. Venet. in fol. p. 320.* illumqve ad omnem cibum, qvi ab Hebræis edebatur, accommodat, his verbis: שהיתה דרכם לישב על המאכל והמשתה סביב סביב ובעת אכילתם ושתיתם היו נסמכים על צד שמאלם דרך חשיבות קראו גם לסמיכה הסיבה ותרע כי לא קראו לשום סמיכה בעולם הסיבה כי אם בעת האכילה והשתיה שרוכם לשבת סביב: *qvia conſvetudo illorum erat, collocare ſe ad cibum & potum circum circa* (menſam,) *& tempore, qvo comedebant, & bibebant, in latus ſiniſtrum inclinabant ſe, honoris ergo, vocabant etiam inclinationem accubitum; ſcias autem nullam unqvam inclinationem* (corporis) *dictam fuiſſe accubitum, niſi* (factam) *eo tempore, qvo edebant & bibebant, qvia ſolebant collocare ſe circa* (menſam.)

§. 2. Idem non modò Hebræis, ſed & Græcis Romanisqve in uſu fuiſſe probat *Joh. Henr. Heideggerus, in hiſtoria ſacra Patriarcharum Tomo poſteriore, exercitatione decima edit. Amſtelod. ſecundæ in 4. p. 319. & 320.* ubi inter alia ita ſcribit: *Accumbebant autem reclinatâ ſupera parte corporis in cubitum ſiniſtrum, inferâ in longum porrectâ,*

ac

ac jacentes capite leviter erecto, dorso à pulvillis modicè suffulto. Sed qvæ de parte corporis infera in longum porrecta commentatur, ad Hebræos non pertinebant sed ad alios populos, ut ex thesi tertia constabit.

§. 3. Consentit *Joan. Gvilielmus Stuckius, in Antiqvitatum Convivialium libro secundo c. 34. edit. Tigur. in fol. fol. 255. p. 1. scribens: de qvo sic Lambinus in illud Horatii Od. 27. lib. 1.*

Et cubito remanete presso &c.
Hoc corporis habitu ac situ cœnabant Græci ferè omnes & Romani illi veteres, accumbentes scil. & cubito innitentes non sedentes: cujus rei complures in ruinis & parietinis Italiæ vestigia ac monimenta vidi.

§. 4. Modum autem inclinandi corpus in cubitum sinistrum delineat *Jacobus Sponius in Miscellaneis eruditæ Antiqvitatis, in dissertatione de Tripodibus figurâ 5. & 7. edit. Lugdun. in fol. p. 118.*

§. 5. Inprimis verò Hebræorum inclinationem corporis describit *Majmonides in loco supra cit. Chametz umazza c. 7. §. 8.* his verbis: והסיבת ימין אינה הסיבה וכן המיסב על ערפו או על פניו אין זו הסיבה:
Accubitus in dextrum latus non erat accubitus; ita qvoqve si qvis accumberet (reclinando corpus) *in cervicem, vel* (jacendo pronus) *in faciem* (sive pectus), *non erat accubitus.* Qvibus paria leguntur

in *Piske Haroſch ſ. Aſcher ſubnexis titulo de paſcha. de edit. Amſt. in fol. f. 139. col. 3. num. 20. & in Schylchan Aruch, in Orach Chajim, Joſephi Karonis, edit. Venet. in 8. f. 146. col. 3.* ubi hæc reperiuntur verba: כשהוא מיסב לא יטה על גבו ולא על פניו ולא על שמאלו: ימינו אלא *Cum accumbit* (Judæus) *non inclinet ſe in dorſum, vel in faciem, nec in dextram, ſed in ſiniſtram.*

§. 6. Licet verò cum Romanis accubitum hunc haberent Hebræi veteres communem, non tamen in ea re Romanos fuerunt imitati, poſteaqvam in illorum redacti poteſtatem erant, ſiqvidem illam inclinationem corporis in latus ſiniſtrum ſignum vocabant libertatis, & etiam tempore templi primi, hoc ſignum libertatis, qvod liberi ex Aegypto exierint, ita obtinuiſſe aſſerunt. Qvam in rem ſcribit *Jarchius in Peſachim c. 10. edit. Amſtel. in fol. f. 108.* מצה צריכה הסיבה כשאוכל של מצוי לילה הראשון בכני חורין שהוא זכר לגאולה *Panis azymus accubitum reqvirit, qvando edit* (Judæus) *panem azymum ex præcepto* (divino) *nocte prima* (paſchali) *ut liberi homines, qvia hoc eſt memoria redemptionis.* Unde deſcendere in ſententiam. *P. Ciacconii de Triclinio p. 98.* non poſſumus, arbitrantis: qvod Hebræi jam inde à Pompejo in ditionem poteſtatemqve Romanorum redacti (ut erat ea gens in iis, qvæ patriis legibus non obviarent, in adulationem profuſa) ad victoris dominantisqve populi

puli instituta, se victusqve sui rationem accommodaverint.

THESIS 3.

Accumbebant alter ad genua alterius, ut pedes protenderentur in terram, qvod dicebatur, in sinu accumbere.

§. 1. Hujus rei vestigia leguntur *in Gemara capitis 10. Pesachim fol. 108. p. 1.* ubi dicitur: זגינן אבירכאי דהדדי qvæ explicantur *à Jarchio in h. l.* כל אחר נשען על ברכי חבירו *qvilibet innitebatur genubus alterius*, (si accumberet.) Et *Jarchius in Gemaram Berachoth f. 46. p. 2. edit. Amstel. in fol.* hanc in rem ita commentatur: שני לו למשה הימנו שאם הוצרך גדול לספר עמו לא יהא צריך לזקוף: *Secundus infra illum* (primum accumbebat) *ut si primus vellet loqvi cum illo, deberet se erigere.*

§. 2. Qvod autem pedes protenderent in terram perspicuè docet idem *Jarchius*, *in Berachoth loc. cit.* qvando scribit: בזמן שהן שתי מטות רגילין היו לאכל בהסיבה על צדו השמאלית מוטה ורגליו לארץ *Eo tempore, qvo duo erant lecti, solebant edere accumbendo*, (inclinantes se) *in latus sinistrum, ut qvis jaceret, & pedes protenderet in terram.*

§. 3. Romanis qvoqve in usu fuisse, ut alter in alterius sinu accumberet, & hoc inprimis obtinuisse, si viri cum uxoribus cænarent, elegantissimis imaginibus il-

lustrat *Hieronymus Mercurialis, de arte gymnastica lib. 1. edit. Amstel. in 4. p. 61. & 62.* ubi tamen apparet, supra maritorum qvoqve genua uxores accumbere; qvod judæis insvetum erat. Inde propius ad Hebræorum mentem accedit accubitus à *J. Lipsio delineatus edit. Vesaliensis in 8. Tom. 3. ad p. 884. 885.* ubi alter ad alterius accumbit genua, nisi qvod pedes non in terram cum judæis protendant, sed in lecto accubitorio relinqvant.

§. 4. Qvam in rem rectissimè ac eruditè scribit *Antonius Bynæus de morte Jesu Christi lib. 1. c. 5. p. 407. edit. Amstel. in 4. Qvi in lecto istiusmodi, qvi interdum qvidem unum tantum capere poterat, interdum verò locum præbebat duobus, sæpius autem tribus, aliqvando etiam qvatuor aut qvinqve, infra aliqvem cubabat, accumbere dicebatur in illius gremio vel sinu. Ita enim in sumendo cibo recumbebant in lectulis, reclinatâ super â parte corporis in cubitum sinistrum, ut capitibus qvidem introrsum ad epulas, pedibus verò extrorsum porrectis, adeoqve seqvens accumberet in sinu prioris.* Qvæ deinde fusius adductis exemplis probat. Qvando autem in præcedentibus commentatur ead. pag. *Vetustissimis temporibus sedisse ad mensam, ut nunc solitum est, non accubuisse Hebræos, ac tandem introductum apud eos accumbendi in lectis morem, adulatione ut credibile est*

Chal-

Chaldæorum Assyriorumqve, qvi remansit invaluitqve, Græcorum ac postremò Romanorum exemplo, à qvibus subacti fuerunt domitiqve, superius ostensum est prolixè, non videtur sibi consentientes habere Literatores Hebræos. Nam verbum ישב *sedit*, si de cœna paschali adhibetur, idem significat qvod היסב *accubuit*. Præterea anteqvam in Romanorum redigerentur potestatem, judæos accubuisse Hebræi asserunt; qvamvis sedisse illos qvoqve, si non ederent paschalem agnum, non negetur.

THESIS 4.

Accumbebant aliqvot personæ in eodem lecto, & diversi adhibebantur lecti.

§. 1. Legitur qvidem in titulo *Berachoth s. de benedictionibus c. 7. edit. Amstel. in fol. f. 46. pag. 2.*

כיצד סדר היסבה בזמן שהן שתי מטות גדול מסב
בראש ושני לו למטה הימנו בזמן שהן שלש מטות
גדול מסב בר"א שני לו למעלה הימנו שלישי לו למטה הימנו:

Qvomodo se habebat accubitus? qvo tempore erant duo lecti, præcipuus accumbebat primo loco, & alter infra eum; qvo tempore erant tres lecti, præcipuus accumbebat primo loco, secundus supra illum (sive ut explicatur in Tosephoth in h. l. ad primi sinistram ut cervicem primo obverteret) *tertius infra illum* (ut jaceret ad ejus genua.) Qvibus paria reperiuntur *in Ceseph Mischne in Majmonidis tit.*

Berachoth c. 7. Sed ista verba loqvuntur de eo casu, si cœnarent vel pranderent tres vel duæ personæ seorsim, non verò ibi sermo est de cœna paschali, utpote ad qvam non qvilibet in peculiari accumbebat lecto, sed accumbebant aliqvot in eodem lecto.

§. 2. Hinc *Cl. Joannis Lightfooti verba in Math. 26. v. 20. edit. Roterodamens. in fol. T. 2. p. 378.* non videntur cœnæ paschali congruere, qvando scribit: *Facem præbent hæc historiæ isti Joan. 13. 23. 24. ubi Petrus, ut videtur, ab occipite Servatoris recumbens, loco post eum primo, non potuit cum eo colloqvi, & de proditore scisscitari: supra caput ergo Christi Joannem prospiciens nutu eum excitat, ut interroget. Is loco à Christo secundo sedens, obversaqve in illum facie scisscitatur.* Nam si Petrus Christo cervicem obvertisset, non inclinasset se in latus sinistrum, qvod omnes qvi cœnæ paschali accumbebant, facere tenebantur, sed inclinasset se in latus dextrum; Qvid qvod hæc verba, ut diximus, non de cœna paschali, sed alia cœna vulgari explicari debeant, ubi non præcisè reclinatio in sinistrum latus reqvirebatur.

§. 3. Idem qvoqve *Cl. Buxtorffius in dissert. 6. de cœna Domini edit. Basilien. in 4. p. 306. & 307. affirmat*, ubi ex hoc accumbendi ritu, in cœna vulgari usitato, accumbendi ritum servatoris cum discipulis interpretatur.

§. 4. Sed si in horum virorum gratiam iste accubi-

tus

tus ad cœnam paſchalem applicetur, ſicut multi Philologi Chriſtiani illum huc referunt, dicendum foret, ſodalitium paſchale ex pauciſſimis conſtitiſſe tunc perſonis, ſi qvilibet proprium haberet lectulum; & fortaſſis ab iis judæis inclinationem in latus ſiniſtrum non fuiſſe adeò rigerosè obſervatam, inprimis ſi eſſent homines illiterati, qvia tunc ſecundus à primo in dextrum latus ſe inclinabat.

§. 5. Qvodſi vero majora ſodalitia conſideremus, qvæ interdum ad 20. perſonas extendebantur, & ad illa referamus ſodalitium Servatoris cum diſcipulis non poſſumus non aſſerere, plures perſonas in uno accubuiſſe lecto; Qvi tamen numerus qvinqve perſonas fortaſſis non excedebat, qvod diſcitur ex lotione manuum qvæ cibis ſubjungebatur. Scribitur enim in *Berachoth c. 7. cit. fol. 46. p. 2.* מים אחרונים בזמן שהם ה' מהחילין מן הגדו' ובזמן שהם מאה מתחילין מן הקטן עד שמגיעון אצל ה' *ſi aqvæ poſt cibum* (ad lotionem manuum porrigerentur,) *qvo tempore erant qvinqve* (qvi accumbebant,) *incipiebant à præcipuo, & qvo tempore erant centum, incipiebant à minimo, donec pertingerent ad qvintum.* Menſa vero removebatur ut commodius lavarent.

§. 6. Non autem cum viris fœminæ in iisdem accumbebant lectis, nec ſervi aut infantes, utpote qvi ne in eodem qvidem ſodalitio multò minus in eodem unius ſodalitii lecto tolerabantur. Verba *Majmonidis*

dis hanc in rem prolata in Hilchoth Korban Pesach c. 2. §. 4. edit. Venet. secundæ P. 3. f. 277. p. 1.

אין עושין חבורה נשים ועבדים או קטנים ועבדים מפני
שלא תהיה קלות ראש ביניהן אבל עושין חבורה כולם
נשים אפילו בפסח שני וכולם עבדים — — וכן אין עושין
חבורה בולה חולי׳ או זקנים או אונני׳ *Non constituebant sodalitium* (paschale) *ex feminis, & servis, aut infantibus & servis, ne leviter inter se agerent; sed constituebant sodalitium ex meris feminis, etiam in paschate secundo, & ex meris servis -- -- ita nec constituebant sodalitium totum ex ægrotis, aut senibus, aut lugentibus.* Ita etiam apud Græcos in conviviis virorum non accumbebant mulieres, ceu docet *Julius Cæsar Bulengerus de conviviis edit. Lugd. in 8. p. 77.*

§. 7. Lecti illi, ut se habuerint, indagari poterit qvodammodo, ex descriptione lectorum *R. Simsonis, qvi est Baal hattosephoth, & in titulo Celim edit. Amstelod. in fol. f. 26. seqq.* lectorum formam recenset. Nempe lecti erant ex funibus texti, ut funes ultra lectos prodirent (*fol. 29. p. 2. in f.*); & qvidem texti per crucem, ut funes in longitudinem & latitudinem extenderentur, (*fol. 30. p. 1.*) & lectus ita funis textus facilè dissolvi in suas partes posset (*fol. 30. p. 2.*) qvibus lectis imponebantur primò omnium tapetes lanei, qvi si viri præcipui accumberent, supponebantur stratis, & ad multorum palmorum longitudinem

infra

infra ſtrata prominebant; (*fol.31. p.1.*) qvos tapetes etiam ex lino aut pilis conſtitiſſe *Majmonides in h.l.* aſſerit. Deinde inſternebantur tapetibus ſtrata, qvæ itidem ultra lectorum prominebant longitudinem (*f.31. p.1.*) Stratis ejusmodi imponebantur pelles (*f.38. p. 2. & f.54. p. 2.*) Crura autem lectorum perforata erant utrinqve, ut longitudo & latitudo lecti ingrederetur in crura, qvæ erant. 4 (*f. 30. p. 1.*) ſolebatqve cruri alicui alligari agnus paſchalis, anteqvam mactaretur, ut eò melius præcaveri immundities ejusdem poſſet (*f.31. p.1.*) Particulæ qvoqve ligni, qvæ vocabantur Malbenim, ſupponebantur cruribus, ne putreſcerent, ſi immundum eſſet pavimentum, (*f. 29. p. 2.*)

§. 8. Qvæ ulterius à judæis explicantur. Nam idem *Simſon* lectos fuiſſe funibus intertextos repetit *in Miſchnam Oholoth f.55. p.1. & f. 61. p. 2. & Nathan in Lexico Aruch f.142. edit. Venet. in fol. col. 2.* lectos fuiſſe oblongos ſcribit. An nulum qvoqve ferreum lecti pedes conſtrinxiſſe ſtatuit *Majmonides in Miſchnam Oholoth edit. Rivenſis in fol. f. 273. p. 2.* Deniqve lectorum altitudinem non niſi decem palmorum fuiſſe aſſeritur *in Piske Toſephoth ſubnexis titulo Menachoth numero 80.*

§. 9. Pulcherrimè his congruunt, qvæ leguntur *in Zachariæ Bogan Archæologiis Atticis lib.6. ſect.2.c. 3. ed. Oxonienſ. Anglico idiomate ſcriptis, in 4. p.278.* ubi pellibus fuiſſe tectos etiam Græcorum lectos ex Ariſtophane, tapetibus autem fuiſſe ſtratos ex Homero, & deniqve accubitum inclinatione in cubitum ſini-

ſtrum factum ex Euripide doctè eleganterqve probat.

§. 10. Strata autem lectis impoſita qvalia fuerint, diſcitur ex doctrina de Carim & Ceſathoth ſive Hebræorum pulvinaribus majoribus & minoribus. Erant illa ex corio, ut docet *Simſon in Celim fol. 25. p. 2. & 32. p. 1.* Unum ſubſternebatur capiti, alterum corpori, fidem faciente *Bartenora in tit. Celim ſ. de vaſis c. 16. §. 4. & c. 20. §. 1.* ubi aſſeritur qvoqve, qvod lanâ vel plumis replerentur; *& in tit. de lavacris c. 10. §. 2.* Qvæ confirmantur in *Lexico* Aruch *edit. Ven. in fol. f. 81. col. 4. & à Majm. in tit. Celim c. 20. §. 2.* Implebantur etiam ſtramine vel Muchin ſive mollibus linteis juxta *Simſonem in tit. Oholoth f. 60. p. 1.*

§. 11. Si autem ſciſcitemur, ſuper qvid ſternerentur iſta ſtrata, non exiſtimandum eſt qvod ſuper tabulata altiuſcula fuerint extenſa, ut *Hieronymus Mercurialis de arte gymnaſtica p. 8. arbitratur.* Nam illa ſtrata ſive pulvinaria majora & minora imponebantur lectis ex funibus contextis; neqve ſola illa pulvinaria vocabantur lecti, ſed illæ funium texturæ, una cum pulvinaribus lecti appellabantur.

§. 12. Videntur qvoqve cum lectos illos aſcenderent detraxiſſe calceos, ſicut etiam *Petrus Ciacconius & Fulvius Urſinus* Romanos detractis calceis nudis accubuiſſe pedibus demonſtrant. Unde rectiſſimè concludit *Antonius Bynæus in libris de calceis Hebræorum, curis ſecundis recognitis, & auctis edit. Dordracenæ in 4. p. 157.* apud judæos eundem morem viguiſſe, prout ex Evangelica hiſtoria, in qva Servator

tor & Apoſtoli more Romanorum illius ævi accumbebant, obſervarint viri eruditi. Sed qvando ibidem addit: *ita non ineptè homines eruditi ad hunc morem retulerunt hoc ſummi Numinis præceptum, qvo Iſraelitas Paſcha comedere juſſit calceatos, ut hac in re Paſchale convivium etiam à reliqvis differret, ne calceos deponerent, qvod pranſuri aut cœnaturi ſolebant*, intelligi de Paſchali convivio Aegyptiaco, debet, qvoniam in paſchali cõvivio, ſi Hieroſolymis inſtituerētur, calceos æqvè ac in aliis conviviis Hebræi deponebãt.

§. 13. Calcei illi interdum erant ſandalia, cujusmodi calceum depingit *Kaphelius in Omeck halachaf. 42. p. 1. edit. Cracov. in 4.* & deſcribitur in *Mto, in Seder Moed. Naſchim, Iſchuth &c. in Piske Schabbat* qvod ſuperius eſſent pelle tecta, inferius ex ligno, vel ex alia re dura conſtiterint, & partem ſuperiorem cum inferiore clavis fuiſſe connexam circumcirca.

§. 14. Lectos illos cum ſtratis planè omiſit *Flacius in Clave in voce ſinus*, qvia forte non niſi accumbendi modum deſcribere volebat, ſine lectis.

§. 15. Qvomodo autem vocabulum מִטָּה qvod lectum ſignificat, cum aliis lingvis congruat, explicat *Ludovicus Thomaſſinus in Gloſſario Univerſali Hebraico edit. Pariſ. in fol. f. 617.* Cujusmodi vocum aliarum lingvarum ex Hebræa lingva derivationem tentare qvoqve conatus eſt, ſed non pari cum *Thomaſſino* inſtituto in voce עוֹלָה aliisqve *Marcus Meibomius, in Davidis Pſalmis duodecim, & totidem S. Scripturæ V. T. integris capitibus edit. Amſtel. in fol. ad Gen. c. XI.*

THESIS 5.

Mensæ, ad qvas accumbebant, qvadratæ erant.

§. 1. Mensæ Hebræorum, si non omnes, attamen maximam partem videntur fuisse qvadratæ, (sicut & Salomonis mensæ qvadratæ erant) & qvidem initio habebant parvas mensas, ex salicibus decorticatis factas, & vel unum vel duos cubitos in latitudine continentes, cujusmodi mensæ mentio fit à *Simsone in tit. Celim f. 37. p. 1.* Deinde ex lignis construebantur parvæ mensæ, de qvibus legantur *Piske Harosch sive Ascher, subnexæ titulo Pesachim, f. 139. col. 2.* Si vero sodalitium convivantium esset majus, etiam majores adhibebantur mensæ, qvæ habebant pedes, ut scribit *Simson in Celim f. 34. p. 1. & 36. p. 2.* Erant etiam in usu mensæ duplices, qvalem delineat *Jacobus Kaphelius in Omeck halacha edit. Cracov. in 4. f. 41. p. 1.* Fuisse autem qvadratas, colligitur ex *Simsone in Oholoth, f. 64. p. 2.* ubi de immunditie mensarum disputatur, & illas fuisse qvadratas ac pedes se habuisse instar arcæ, cujus tegumentum & latera in longitudinem porrecta avulsa essent, indicatur.

§. 2. Altitudo mensæ erat cubitus cum dimidio, ut Hebræi docent; cubitus autem erat communiter palmorum sex, adeoq; commodè ad hujusmodi mensas accumbebatur, inprimis cum & lecti essent humiles, & sine fatigatione conscenderentur.

§. 3. Qvia autem mensæ qvadratæ erant, hinc etiam qvælibet qvatuor constabat pedibus, qvod rectè observat jam laudatus *Hieronymus Mercurialis p. 79.* qvamvis unum vel duos tantum pedes *p. 77.* delineet.

§. 4. Qvodsi in integumenta mensarum inqviramus, licet facilè largiamur, pro dignitate patris familias, si ille rex vel princeps esset, fuisse elegantiora & majoris pretii, tamen si de ordinario civium convictu loqvamur, communiter tectæ videntur fuisse mensæ corio. Mappas enim coriaceas memorat *Majmonides in P. 3. Mischne Tora, ed. Venet. in Hilchoth Celim c. 27. §. 6. & in librum Mischnicum Celim c. 6. §. 4.* ubi scribit: וסקורטי
הוא

הוא כלי מעור אשר יאכלו עליו i. e. *secorteja est instrumentum pelliceum, super qvod cibum capiunt.*

§. 5. Deniqve non existimandum est, qvasi semper suspenderentur lampades supra mensam, si cœnaturi judæi essent. Nam poterant etiam candelabris altioribus imponi lucernæ oleo repletæ, ut lumen cœnantibus præberent. Hujusmodi candelabrum cui lucerna imposita est, ære incisum exhibet *Michael Angelus Causeus, de la Chausse in Romani Musæi Romæ infol. editi sectionis 3. tabula 13, qvam tabulam f. 79. ita interpretatur: Candelabris utebantur veteres, cum rem divinam faciebant: in illis figebantur candelæ & funiculi ardentes vel etiam lucernæ olariæ ponebantur, minus tamen ad lumen exhibendum, qvàm ad sacrificii decus & majestatem.*

THESIS 6.

Accumbebant velatis capitibus.

§. 1. Hæc obvelatio discitur ex *Gemara Berachoth edit. Amstel. in fol. f. 51. p. 1.* ubi dicitur, qvod poculum paschale reqvirat עיטוף sive obvelationem capitis. Attendit qvoqve illam *Cl. Lightfoothus, qvi in Hor. Hebr. in Math. 26. edit. Roterod. in fol. T. 2. p. 380. col. 2.* ita scribit: עיטוף *obvelatio* i. e. *ut Rabh Papa, velat se & considet, ut R. Issai sudarium expandit in caput suum,* נוטלו בשתי ידיו *poculum accipit manu utraqve, at dat in manum dextram, elevat à mensa, oculos in illud figit &c. sunt qvi dicunt dono impertit suis.*

§. 2. Facilè qvoqve probari potest ex regulis vivendi & ceremoniis Hebræorum veterum. Nam illi nullas preces, nullas benedictiones recitabant nisi velatis capitibus, qvarum precum & benedictionum historiam fusè interpretatur *Campegius Vitringa in Synagogæ veteris lib. 3. part. 2. cap. 13. seqq. edit. Franeqveranæ in 4. p. 1022. seqq.*

§. 3. Itaqve cum benedictiones etiam in paschali cœna recitandæ essent, vel ad pocula paschalia, vel etiam benedictiones post cibum sumptum, utiqve velari capita debebant, ad minimum eo tempore, qvo recitabantur.

§. 4. Non autem videtur, qvod obvelarint capita istis velaminibus, qvibus utebantur in synagogis, cum preces recitabant, qvæqve habebant adjecta peniculamenta, sive Zizijoth, de qva veste conferatur *Maj. in P. 1. edit. Venet. minoris in fol. in Hilchot zizith. fol. 93. p. 2. f. 94. & seqq.* Ita qvidem asserit *Gilbertus Genebrardus in Chronographiæ lib. 2. edit. Paris. in fol. pag. 220.* ubi ita scribit: *qvarto* (induit pater familias) *tunicam sive vestem qvadrangulam manicarum expertem, qvæ reliqvis omnibus indumentis super imposita è qvatuor angulis, sive extremitatibus emittit fila retorta, sive fimbrias Num 15. ubi hoc vestis genus in precibus, & solemnibus imperatur, Moses Tsisit appellat, judæi hodie Tallith, qvasi involucrum sive indusium non admodum differens ab Ephod lineo, qvo aliqvando David usus est &c. Nam cum his sacris ornamentis celebrabatur non tantùm cœna paschalis sed & Aphikomim &c.* Sed tamen nullum est hujus rei vestigium apud veteres. Itaqve potius velasse se judæos sudariis dicendum est, qvibus aliàs creberrime extra precum utebantur tempora. De hac obvelatione capitum, qvæ fiebat sudariis, legitur in *Bartenora, in Celim c. 29. §. 1.* Neqve sola capita, sed & partem tegebant corporum, ut testatur *Maj. in libro de Sabbato c. 19. §. 19.* Unde colligari à cursoribus solebant ne illos in cursu impedirent, ut scribitur in *Lexico Aruch. edit. Ven. in fol. f. 148. col. 3. in init.* Interdum etiam sudariis duobus velabantur capita, qvemadmodum legere est in *Schibble Leketh edit. Ven. in fol. f. 13. col. 4.* Erant autem communiter ex lino, ut passim Hebræi inculcare solent.

THESIS 7.

Accumbebant tantum ad aliqvos cœnæ paschalis cibos.

§. 1. Docetur hoc *in Kizzur Piske Haroscb subnexis titulo Pesachim cap. ult. §. 20. ed. Amstel. in fol. f. 139. col. 3.* verbis seqventibus:

מצה צריכה הסבה כזית ראשון וכזית של אפיקומן: ואם אכל בלא הסבה צריך לאכל פעם אחרת ויין נמי בעי הסבה

והסבה כל ד׳ כוסות: ואם שתאן בלא הסבה צריך לשתות פעם אחרת בהסבה וצריך לברך עליו ומרור לא בעי הסבה:
Panis azymus reqvirebat accubitum, etiamsi tantùm instar olivæ de primo (pane azymo comedisset,) *& instar olivæ de Aphicome. Qvodsi edisset sine accubitu, debebat iterum edere altera vice. Vinum qvoqve reqvirebat accubitum, ad omnia 4. pocula* (paschalia). *Qvodsi bibisset, sine accubitu, debebat bibere altera vice accumbendo, & debebat recitare benedictionem super illud* (poculum.) *Herba autem amara non reqvirebat accubitum.*

§. 2. Paria his reperiuntur in *Schibble Leketh in Hilchoth Pesach edit. Venet. in fol. f. 29. col. 4. in fine*, ubi simul accubitus in sinistrum latus, & feminarum honoratarum accubitus explicantur, ac *fol. 30. col. 1.* copiosè de herbis amaris illarumqve speciebus disseritur.

§. 3. Videtur qvoqve ad agni ipsius comestionem reqvisitum utiqve fuisse accubitum.

§. 4. Qvi autem ad omnes accumbere cibos hujus cœnæ cupiebat, facere illud poterat; sed ad aliqvos ita necessariò reqvirebatur accubitus, ut sine illo frustra ederentur.

THESIS 8.

Accumbebendo lavabantur manus post cibum sumptum.

§. 1. Hoc luculenter docet *Majm. T. 1. in Hilchoth Berachoth c. 7. §. 11. & 12.* verbis seqventibus: גמרו מלאכול מסלקין את השולחן ומכברין את המקום שאכלו בו ואחר כך נוטלין את ידיהם שמא ישיירו שם פירורין שיש בהן כזית שאסור להלך בהן ולרחוץ עליהן אבל פירורין שאין בהן כזית מותר לאברן ביד: הביאו להם מים לנטילה כל שמברך ברכת המזון הוא נוטל ידיו תחלה כדי שלא ישב הגדול וידיו מזוהמות עד שיטול אחר ושאר הסועדין נוטלין זה בסוף זה אחר זה ואין מכברין ברבר זה שאין מכברין בידים מזוהמות ולא בגשרי ולא בדרכים *Si desinerent edere, removebant mensam, & everrebant locum, ubi comedaerant; deinde lavant*

QK
T. i
235

vabant manus ſuas. Fortaſſis enim relictæ ibi erant micæ, olivæ habentes qvantitatem, qvæ conculcari non debebant, nec ſuper illas lavari. Sed micæ non habentes olivæ qvantitatem poterant manu perdi. Cum allatæ eſſent illis aqvæ ad lavandum, qvicunqve benedictionem poſt cibum recitabat, (ſive præcipuus conviva,) *lavabat manus ſuas primo loco, ne accumberet præcipuus manibus ſordidis* (& exſpectaret) *donec alius laviſſet; poſtea reliqvi convivæ ſuo ordine lavabant demum, neqve in eo qværebant honorem, qvia in manibus ſordidis non qværebant honorem, nec in pontibus, nec viis* (uter præcederet.)

§. 2. An autem accumbendo manus laverint qvoqve ante cibum inqviri adhuc debet? Fatetur qvidem *Majmonides in Hilchoth Chamez Umazza c. 8, §. 1.* qvod primò recitarint cum poculo vini benedictionem diei, deinceps laverint manus, & poſtea allata menſa fuerit herbis amaris, oleribus, panibus azymis, pulmento &c. inſtructa. Si itaqve illam benedictionem diei, qvæ lotionem præcedebat, accumbendo recitarunt, qvod probabile, nondum certum eſt, dici etiam poteſt, qvod accumbendo manus laverint ante cibum.

THESIS 9.

Accumbendo recitabant Hallel.

§. 1. Hoc Hallel ſive canticum Aegyptiacum continebat Pſalmos aliqvot, videlicet Pſal. 113. 114. 115. 116. & 118.

§. 2. Recitabatur autem Hallel accumbendo, qvia recitabatur ad duo pocula paſchalia. Pocula vero bibebantur accumbendo, & qvidem pars Hallel prior nempe Pſalmus 113. & 114. recitari ſolebat ante poculum ſecundum, cum explicatus infantibus agnus paſchalis cum herbis amaris, & aliis, qvæ huc pertinebant, eſſet; pars autem altera nempe Pſalmi ſeqventes recitabantur ad poculum qvartum, ſicut hæc omnia deſcribit *Majm. l. c. Chamez Umazza c. 8.*

§. 3. Non verò ſolum ad cœnam ſed & ad agni mactationem Hallel ſolebat recitari ut idem docet *Maj. in Korban Peſach c. 1. §. 11. & 12.*

Q.K.
411,
20.

II i
235

AC

ad a

ad il

THE

Ling.

M. S

rUM

alem,

um,

Servatoris

SOVIO,

Prof. Publ.

tiis

INGIUS,

XCVIII.

jori.

Acad. Typ.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-5205-p0025-1